

1221

Tepulus Byzantii Prætor, qui quum cerneret Gallicas opes in Græcia semifractas, cum Theodoro Epirota, cuius opes quotidie invalescebant, fœdus in quinquennium percussit: & cum Turcorum Rege in biennium. Robertus interim Petri filius per Pannoniam & Mysiam Constantinopolim venit: ubi confessim est Imperator salutatus. Is ab initio cum Mariano Michaeli Byzantii Prætore, de communis Imperii administratio-ne multa & utilia agere cœpit: atque in ea concordia libenter & studiose perseveravit, adeo ut in omni præfatione (quod & alii, qui eum præcesserant, fecisse dicuntur) Venetum Ducem *Charissimum imperii Collegam* appellaret. Nec vana interim erat ea prædicatio, quum veteribus Gallorum opibus quotidie in Græcia se remittentibus, nec nova ulla in supplementum aliunde mitterentur auxilia, ad id ventum erat, ut omne ipsius Imperii pondus Venetorum, nec alterius gentis, opibus stare crederetur. Robertus uxorem divitis matronæ filiam, humili alioquin loco natam, quæ purpuratorum uni prius fuerat despoinsa, duxit uxorem. Is eam contumeliam ulturus, in Roberti domum cum hominibus suæ factionis, quæ præpotens erat, impetu facto, truncatis puellæ natibus, matrem recentium nuptiarum conciliatricem mari mergendam curavit. Robertus irarum plenus Romam profectus, multaque de indigna conjugis injuria apud Pontificem questus, quum Byzantium rediret, in Achaja vita decessit, Balduino filio admodum puero relicto. Is Joannis Hierosolymitani Regis filiam uxorem dixit: qui communi omnium consensu generi sui adhuc pueri imperium tutandum, ut quidam auctores sunt, suscepit. Cardinalis interea, qui a Pontifice, ut in Syriam transiret, missus erat cum ingentibus copiis, Ptolemaidem venit. Fuit ejus expeditionis Princeps Andreas Pannoniæ rex, qui ad trajiciendas copias Venetorum opera usus dicitur: quam ideo facile impetravit, quia jus omne, quod Pannoniæ Reges ad id tempus in Dalmatia sibi vendicare consuevissent, Veneto nomini remisit. Damiatam Ægypti urbem, Nilo fluvio contiguam, ea expeditione ex hostibus captam habent annales quidam, unde triginta captivorum millia abducta sint. Quid aliud memoria dignum ea expeditione sit gestum, non reperio.

1219  
Damata  
urbs Ægyp-  
tii capta.

IN